



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

Ad Victoriam. Cum Turennius foederatos exercitus multis cladibus attritos  
ex Alsatia expulisset. Ode XIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

Clarusque venas sanguis ire per tuas,  
 Quam facere reges præferat.  
 Et quas Idæme grandibus palmas avis,  
 Quas Sicula tellus protulit;  
 Gaudent trophæis obrui majoribus,  
 Tuisque vinci laureis.

A D E U N D E M.

## O D E XII.

**S**EMIDEUM proles, vel quos Mars horridus armis  
 Bello feroces extulit,  
 Hostilisque moram toties dedit esse furoris,  
 Labantis & fulcrum imperi:  
 Seu quos pax melior placitas instruxit ad artes;  
 Et profuturas civibus,  
 Magnanimo inspirans aluit sub pectore curas,  
 Utriusque in ævi commodum.  
 Publica privatis si fas confundere jura,  
 Patriæque Musas jungere:  
 Quas tibi debemus communi nomine gra  
 Privato amore solvimus.

A D V I C T O R I A M.

*Cum Turrenius fœderatos exercitus multis cladibus  
 attritos ex Alsatia expulisset.*

## O D E XIII.

**D**IVA non mitis soboles Gradivi;  
 Quam jvant hostis pavor, & tumultus,  
 Et fuga, & late calido natantes  
 Sanguine campi.

X iij



Nunc decet lauro religare crines ,  
 Nunc & aurato volitare curru ,  
 Quo vocat Turenni honor, & decori  
 Pompa triumphi.

Ille fortunæ comitem secundæ  
 Te suis dudum residere castris  
 Jussit ; & verti celeres volenti  
 Abscidit alas.

Teutonum victor triplici duello ,  
 Te novis auctam celebrat trophæis,  
 Et sacras Rheni sub utraque ripa  
 Dedicat aras.

## AD MUSAS.

*Ut relicto Parnasso , ad Bavillam illustrissimi viri  
 Guillelmi Lamoni senatus principis  
 velint consistere.*

### O D E XIV.

**C**A STUM Mnemosinæ genus  
 Nunc, ô Pierides, linquite barbaris  
 Polluta Ottomanis juga ,  
 Captivosque lacus , & male turbidam  
 Fletu Castaliam suo ;  
 Et lauro viduum fatidica nemus.  
 Vos sedes melior vocat :  
 Vos luci virides non sine frondium  
 Grato cum Zephyris joco ;  
 Fractæque ad silices murmur aquæ , & sacri